DE CYSTITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS JACOBI BALDINI FANTONI

Giacomo Baldini Fantoni

DE CYSTITIDE

DISSERTATIO INAUGURALIS

JACOBI BALDINI FANTONI



PATAVII
EX TYPIS VALENTINI CRESCINI
1842.

ALL'AMOROSA MIA GENITRICE

CHE CON SINGOLARE AFFETTO

MI FU PRODIGA DI SANI CONSIGLI

E DI CURE INDEFESSE

QUESTA TENUE FATICA

IN SEGNO DI GRATITUDINE

IL FIGLIO RICONOSCENTE OFFERIVA



In magni Hippocratis libris, et praecipue in Aphorismis, non solum vesicae inflammationis, sed aliorum ejusdem organi morborum descriptiones occurrunt. Medici vero, qui eum secuti sunt, ad finem saeculi decimi octavi usque vesicae morbos aut plane neglexerunt, aut, de symptomatibus magis quam de partis adfectae conditione solliciti, ad dysuriam, stranguriam, et lithiasim eos reduxerunt. Quapropter cum diligentissimus naturae observator et medicus felicissimus Fridericus Hoffmannus cystitidis catarrhalis casum describere agressus esset, rarum vesicae morbum phlogosim illam declaravit; Lieutaud casum prorsus similem a se narratum, morbum inauditum pronunciavit, addiditque de hocce affectu altum apud Auctores silentium esse. Cum Lieutaud plane assentitur Vogel, qui de cystitide verba faciens ait: « nulla fere fit hujus morbi a recentioribus auctoribus mentio » Et re quidem vera, clarissimus Cullen, in opere omni laude dignissimo, quod de praxi medica scripsit, vix aliquas impendit lineas, cum de cystitide loquitur.

Hodierno aevo, praeeunte Joanne Petro Frank ingenii acie atque observandi genio clarissimo, vesicae morbos Medici pariter atque Chirurgi illustrarunt, inter

quos laudem merentur Boyer, S. J. Sömmering, L. J. Begin, Civiale, Roche, Cumin aliique; quorum studio et observationibus innixus cystitidem delineabo

I. *Nomen et divisio*

Cystitidis nomine, inflammatio venit vesicae urinariae, organi nimirum arteriis nervisque ditissimi, externis injuriis ex una saltem superficie aperti, ideoque phlogosim subeundi peridonei.

In cystitidis divisiona non omnes conveniunt pathologi: quidam enim uti Boyer, phlogosim membranarum omnium vesicae, ab illa solius membranae mucosae ejusdem, quae aliunde frequentior occurrit, distinguunt, licet nec semper, nec plerisque in casibus, an unica vel omnes membranae adfectae sint, statui possit: alii e contra (J. P. Frank, Sömmering, Cumin, Roche, Begin) cystititidem in acutam et chronicam dividunt, et ad hanc ultimam vesicae catarrhum referunt. Quae quidem divisio, prae alia nobis arridet, utpote quae pro praxi magis comoda, etsi et ipsa aliquis prematur difficultatibus, uti inferius clare patebit.

II. *Cystitidis acutae symptomata.*

Rara in praxi occurrit cystitis acuta, et vel repente, vel paulatim evolvitur. Dolorem aeger accusat ad regionem hypogastricam ab initio obtusum, profundum, deinde acutum. Interea horrores vagi accedunt cum pulsu humili, quibus paulo post calor evolvitur universalis cum aliis symptomatibus febrim comitantibus: pulsus fre-

quantiores, duri, contracti deprehenduntur. Praeter dolorem in hypogastrio sita evolvuntur symptomata ex laesione vesicae procedentia, eaque varia, pro varia vesicae regione quae phlogosi corripitur. Vel enim haec per totum viscus, quod vix ab initio morbi accidit, est dispersa; vel ejusdem tantum partem, lateralem nempe, anteriorem, posteriorem aut supremam, vel infimam seu cervicem occupat. Si phlogosis vesicae latera paulo profundius adoriatur, tunc uretherum per illius membranas oblique descendentium ostia occludens, praeter ardorem et dolorem vesicae, lotium ab ipsa vel ex parte, vel omne avertit, atque urethere urinis ultra modum distento, dolores oblique ad renem ascendentes, nec minora ad ipsum renem plenitudinis, distensionis, irritationis symptomata producit. Ubi haec utroque in latere contingunt, tunc sub vacua prorsus vesica, mox omne renum abolebitur officium, ac cita, ex stagnante in uretheribus renumque pelvi urina, aut illorum disruptio, aut lethalis sequetur gangraena. Si anteriorem magis vesicae parietem inflammatio invertiat, tunc ad pubem durities et dolor attrectationem quoque levissimam impatiens vehementer urgebit: ad posteriorem vero partem haerens affectio, in foeminis symptomata uteri inflammati leviora, in viris tenesmum, alvi obstipationem, haemorrhoidalium vasorum tensionem, pulsationem et acutos dolores causabit. Si vesicae fundus phlogosi corripiatur, ob imminutam organi capacitatem, ac summam totius visceris irritabilitatem, continuus ad mingendum nisus, et nisi spasmodica cervicis contractio id impediat, citior ejusdem excretio erit. Phlogosi in vesicae collo sedem

518

habente, ad perinaei regionem summi certe doloris sensatio figetur, atque ex urina illico suppressa, tumor ille ovalis ac oblongus ex imo abdomine, magis quam in quocumque alio cystitidis casu, assurget. Accedunt et sensus ardoris continuus in urethra, quasi flamma illam proserpens, cum perpetuo mingendi conatu irrito et dolorosissimo: urina vel prorsus intercipitur, vel si guttulas aliquot aeger emittere valet, illico summo cruciatu fluxus reprimitur.

Morbo progrediente, symptomata quae partium vesicae adjacentium laesionem manifestant, nec non ea quae a partium vesica remotarum cum hoc viscere consensu pendent, in scenam veniunt. Dolores hinc ad totum abdomen, lumbos, uretheres, perinaeum, testes, anum, partem internam coxarum usque ad crura et pedes diffunduntur; accedunt abdominis ipsius distensio summa, nausea, singultus, vomitus biliosus, verbo peritonitis. modo anxietas, inquietudo, modo delirium, sopor, motus convulsivi cum pulsu exili, frequentissimo; quae demum vitae finem imponunt.

Quem nunc exposuimus, cystitidis gravissimae et quidem lethalis decursum sistit. sed neque adeo gravis semper est morbus, nec finem adeo tristem in plerisque aegris obtinet. Interdum enim aptae et debito tempore adhibitae medelae opera, faventibus aliis circumstantiis, symptomata, loco ut crescant pantatim minuuntur. dolores, abdominis tensio, urinae difficultas abeunt, febris cessat, et aeger intra quinque, septem, decem dies, vel amplius ad mensem, salutem recuperat.

„ Si cystitidis acuta (ita Cumin) fractis jam mor-

bi viribus, ad finem bono omine, vergat, mucus vesicalis copia augetur, nec amplius proprias qualitates habet; reapse enim, viscidus et veluti gelatinosus ab urina deponitur, et tunc morbus ad mitiorem formam, catarrhum nempe vesicae gradum facit.

III. Terminationes.

Easdem cystitis agnoscit, ac ceteri morbi inflammatorii, terminationes; resolutio nempe, transitus in phlogosim chronicam, suppuratio, induratio, et gangraena.

Resolutio.

Solet interdum vesicae inflammatio repente solvi, erysipelate juxta cutis superficiem oborto, ex J. P. Frank observatione: saepe autem tarda resolutio contingit, et aliquis per longum tempus vesicae tumor cum incontinentia lotii, aut saltem cum aliqua urinam diutius retinendi impotentia, relinquitur. Exitum hunce omnium felicissimum, erysipelate quidem absente, futurum praenunciare merito possumus, si copiosus urinae puriformis fluxus levem albumque, sed aliquando tenacissimum sedimentum deponentis, secedat, et profuso universali sudore cutis relaxetur.

De *transitu in phlogosim chronicam*, inferius, ubi de cystitide chronica sermonem habebimus.

Suppuratio.

Haec vel in textu cellulari membranis vesicae intermedio, vel in textu illo, qui vesicam organis vicinis jungit, locum habet. Abscessus vel per urethram

dapletur, vel flebili certe eventu, in intestinum rectum, ad perinaeum, ad uterum ipsum, ad peritonaeum, viscera varia sub inflammatione cum vesica concreta, ac demum cum cita morte, in ipsum abdominis, pelvisque cavum aperitur. Cave autem, ne puriformem quamcumque materiam, quae cum urina ex urethra excernitur, pro pure habeas. » Per menses enim (ait J. P. Frank), ex rheumatico in vesicam deposito acri, ex chronica hujus visceris, saepe haemorrhoidali phlogosi, ac vesicae quasi coryza aut catharro inflammatorio, simillimam puri, eamque tenacem materiam, sine latentis exulcerationis periculo, urinis effluxisse conspeximus »

Maxima quoque attentione opus erit medico, in decernendo, quibusdam in casibus, an pus ex vero vesicae abscessu, vel potius a prostatae aut vesicularum seminalium suppuratione proveniat.

Induratio.

Infrequens non est, praecipue ad vesicae cervicem: hic tamen exitus cystitidis chronicae magis est familiaris, neque difficulter medico agnoscendus, si debite praegressa symptomata perpendens, praeter molestam ponderis sensationem ad perinaeum, de qua aeger conqueritur, ac varias functionis vesicae turbas, tumorem durum fere indolentem, digito in anum vel vaginam immiso, percipiat.

Gangrena.

Exitus sane lethalis. Ipso appropinquante « urinae, per totum inflammationis decursum suppressae,

interdum sine difficultate fluunt, ac imperitis sub quorumvis dolorum cessatione, spem vitae eriguut, post breve tempus certissima morte delendam." (J.P.Frank).

IV Causae

Cystitis acuta raro observatur: frequens magis in adultis, robustioribus et maribus, quam in debilibus et foeminis: saepius hiberno tempore et regionibus frigidis, quam aestate et regionibus calidis occurrit. Frequentissime ex calculorum aut arenarum in vesicae cavo degentium irritatione, originem habet; interdum a plethora quavis locali, aequitatione, vectione, concussione corporis ad haec loca invitata. Modo ab inflammatione, suppuratione, ulcere vicinarum partium; modo a laesione mechanica; modo denique a catheterum, cereorum repetita nimis ac imprudenti applicatione, pendet.

Inter acutae cystitidis causas recensendae quoque veniunt: suppressio evacuationum quarundam, ex. c. haematuriae, blennorrheae, fluoris albi, fluxus haemorroidalis, vel etiam alicujus artificialis evacuationis praetermissio metastases materiae arthriticae, herpeticae, rheumaticae ad vesicam (Frank, Sömmering), vel, ut cum Modernis loquamur, harum phlogosium diffusio, blennorrhaea novis stimulis, coitus abusu aut victus vitiis exasperata; nimius aphrodisiacorum et diureticorum remediorum usus, spasmus diuturnus vesicae dolore ingenti comitatus, hujusce visceris hernia incarcerata, injectiones irritantes. Ex cantharidibus intus sumptis, cystitidem acutam natam vidit Paraeus, quin

et penis ipsius gangraenam, similem narrat casum Alibert. Denique observante clarissimo Sprengel, cutanei morbi ita interdum agunt, ut per consensum vesicam adficiant.

V. *Cura*

Methodum antiphlogisticam energicam suadent omnes practici: venaesectiones nimirum generosiores frequenter repetitas, et post ipsas, hirudines magno numero perinaeo, pudendis, hypogastrio adplicitas. Sommering, cum medicis antiquioribus, sanguinis ex venis pedum missionem, venaesectioni ex brachio antepouit. Chopart eam praecipit ex vena dorsali penis, dummodo tamen cystitis uretritidi copuletur.

Balnea tepida, statim post sanguinis missionem, et quidem per plures horas continuata, ter, quaterve in die repetita commendat Begin. Et re quidem vera nemini occultum non est, cutim arctissimis necti symphathiis cum organis uro-pojeticis, ita, ut illius textus relaxatio ac subsequens transpiratio a balneo inducta, modo reagant salutari supra vesicam phlogosi detentam. Sub morbo nondum provecto, frigida potius quam calida prosunt fomenta, quo loco dolor urget admovenda (Frank), sub majori vero inflammationis intensitate, illa quae potenter relaxant, balnea nempe, semicupia, fomentationes emollientes, potissimum indicantur. Negligendi pariter non sunt clysteres oleosi, mucilaginosi.

Inter remedia interna, ea quae relaxant et temperant, suadenda; quemadmodum sunt, potus omnes

temperantes, mucilaginosi, et purgantia oleosa. Nitrum a Soemmering rejicitur, " almeno in principio, come un mezzo che irrita troppo fortemente la vescica ".

Doctor Cumin, morem caeterorum Angliae medicorum servans, opium etiam in cura cystitidis acutae commendat; sed tutius erit ab eodem remedio se abstinere, saltem in principio, juxta J. P. Frank consilium. « Opio in hoc morbo, sub maximo licet cruciatu, priusquam pars major inflammationis abacta sit, locus esse non potest. Tunc vero, si vel a calculo, vel a graviori spasmo dolor provocetur ac pendeat; tincturae thebaicae portio vel ano commussa, vel cum emulsione arabica porrecta simul indicabitur. Nec minus reliqua post cystitidem vesicae sensibilitas morbosa, opium subinde expostulabit ». Begin opiatas per anum injectiones suadet, quae ipso referente, magis conveniunt cum in partibus jam irritatis immediate agunt, quam si narcotica per os administrarentur.

Si, ischuriae caussa urinae extrahendae necessitas urgeat, atque ob summam tumentis cervicis constrictionem, nec aditus quidem flexili musicae chordae esse possit, a quovis ulteriori experimento, hic facile nimis fatali, abstinendum Frank suadet, et ad vesicae punctionem promptissime descendendum. Hac tamen in re, monet Begin, ad antiphlogistica potius et sedantia balnea properandum esse; nam horum ope, vel urina paulo post sponte fluit, vel saltem aeger catheteris introductionem tollerare valet.

Si cystitidi praeivent podagricus vel arthriticus accessus, tunc ad articulum prius adfectum, morbum omni cura invitare oportet, sinapismatum, vesicantium

val fotuum ope. Caveas tamen, ne vesicantia cantharidibus conficiantur, quae, quum virtute in vesicam electiva praeditae sint, ab earum absorptione hujusce visceris phlogosis intenderetur. Urinae suppressionem ablatam vidit Petersen, statim, ac podagricus accessus denuo ad solitam se restituit sedem. Vir quidam (narrat Draviz) repente a doloribus fortissimis in pedibus aggressus est: dolores tamen ex pedibus in urethram et vesicam se se transtulerunt, ex quo ardor molestus et urinae suppressio enata; verum irritantibus adplicitis in prima morbi sede, et oborto ibi tumore, malum vesicam dereliquit.

Quae autem cystitis a calculi praesentia evolvitur et sustinetur, ex nonnullorum practicorum consilio, cystotomia curari praecipiebatur, quod profecto neque cautum erit, neque utile, nisi prius inflammatio convenienti methodo fuerit cohibita, aliter aegrotantes plerumque in ferro necem invenient.

Illa tandem quae ab imprudenti cantharidarum usu originem sumpserat, emulsionibus amygdalarum aut gummi arabici camphorae nuptis, curatur.

Dieta, quae omnibus inflammationibus gravioribus apta est, imperanda.

VI. *Prognosis*

Periculosissimus cystitis morbus est: etenim ob sensibilissimam ac membranosam vesicae naturam, citissime in illius paralysim aut gangrenam terminatur.

Lethalem declaravit Riverius, si cystitidi delirium, aut convulsio, aut gravia alia symptomata succ-

cedant. Quod si sudores frigidi, ac perfrigerationes extremorum appareant, mors in propinquo est.

Cystitidem acutam periculosiorem in senibus, a repetitis hujusce organi morbis vexatis, habet Begin.

Abscessus quoque huic organo externi, gravissima in textu cellulari mala inducunt, eoque extensa, ut raro individui ab ipsis detenti, salutem inveniant.

Tandem peritonitis altioris gradus cystitida complicata, grave semper portendit periculum.

VII. *Cystitis chronica.*

Cystitidis chronicae nomen, phlogosi membranae mucosae vesicae, a medicis impositum fuit, licet non satis proprie, cum interdum hic morbus decursum acutum obtineat. Quidam catarrhum vesicae, hanc phlogosim nominant; et hi quidem minus recte; plerumque enim absque notabili muci secretione morbus observatur. Sed de nomine satis.

Cystitis chronica frequens in senibus est, plerumque spasmodica, interdum epidemica, si Guntero credamus, qui talem se vidisse narrat.

VIII. *Symptomata*

Ipsam praecedunt quandoque fluxus haemorrhoidalis, ponderis sensus in ventriculo, dolores recurrentes vel calor et tensio in vesica cum ponderis sensu ad perinaeum.

Symptomata vero quae cystitidem chronicam seu catarrhalem praesentem declarant, sunt praeprimis

continuus fere mingendi nisus cum tenesmo molestissimo, adeo ut saepius in hora, interdum etiam omni fermae horae momento aeger, ut urinam excernat tentamina edat, quin tamen plus quam guttulas aliquot emittere possit. Dolor vel nullus in vesica est, vel levis, profundus, obtusus, plerumque in hypogastrio et perinaeo. Urina quae excernitur mixta apparet muco albicanti, vel flavescenti, pellucido, viscido, fundum vasis occupante. Muci copia interdum urinae ipsius quantitatem superat.

Accedit nonunquam febris non adeo fortis, quae interdum intermittentem periodicam simulare videtur; horripilationibus enim ipsa invadit, succedente calore et levi sudore.

Quandoque febris deest, et morbus prorsus localis esse videtur.

Si morbus neglectus, vel prave curatus, vel natura sua incurabilis fuerit, ad menses et annos perdurat, accedentibus tamen adpetitu deleto, insomnis, difficile digestione, virium prostratione, marasmo, vel febre hectica, et morte.

IX *Diagnosis.*

Ab expositis (§ VIII), chronicam cystitidem facile dignosci, cuique patet. Verum quod maximi est pro cura momenti, difficile interdum noscere, an morbus ex communibus caussis, an ex peculiaribus, nempe urethrae stricturis, morbo prostatae, vesicae calculo oriatur. Hoc ultimo in casu, vel per catheterismum, vel per ani explorationem, diagnosis summopere adjuvatur.

X. Causae.

Cystitidi chronicae originem praebent, speciali ratione, abusus spirituosorum, et diureticorum, injectiones irritantes, veneris abusus, blenorrhagia, calculus, arenulae, vita sedentaria; demum et cystitis ipsa acuta saepius in eodem subjecto repetita.

XI. *Cura et Prognosis.*

Quousque recens est morbus, methodum antiphlogisticam satis generosam exposcit, praesertim si febrim comitem habeat. Venaesectiones prae hyrudinum adplicationibus, utiles evadunt, quidquid in contrarium sentire videatur Doctor Cumin, qui sanguinis emissiones non laudat, « a meno che il dolore nella regione della vescica non sia considerevole; ed allora basta ordinariamente l'applicazione di sanguisughe ». Post venaesectiones, hirudinum adplicationes, balnea, fotus caeteraque in cystitide acuta commendata, usuveniunt; respectu semper habito ad morbi gradum at virium statum.

Silentio hic praetereundum non est, clariss. Chirurgum Delpech, balsami copaive ope, cystitidem catarrhalem satis gravem in auis, ut ita dicam, incunabulis jugulasse. Quin imo, et ego a medicis fide dignis recepi, remedium hoc cito et tuto membranae mucosae vesicae phlogosim vincere.

In morbo jam provecto, omnes medici balsamica commendant, terebinthinam nempe, balsamum tolutanum, et copaive.

Chopart injectiones ex aqua vegeto-minerali in vesicam, optimo cum successu adhibuit Gibou nuperrime fuliginis decoctum in vesicam injectum, commendavit. Haec attamen directa medela, quae in partibus morbo affectis exercetur, necessario activissima esse debet, ideoque, aut valdopere noxia esse potest, aut impressionem saluberrimam exercere; quapropter maxima cautela adhibenda.

Si morbus recens adhuc sit, plerumque medici conamina optatum consequuntur effectum. si vero jam adoleverit, vel a longo nimis tempore perduraverit, et si aeger in senio jam sit constitutus, nil ferme a medicaminibus sperandum; eoque magis si morbus a causa mechanica (calculo ex c.) pendeat. Hinc est quod Lassus vesicae catarrhum, morbum plerumque insanabilem declaraverit, et Sömmering pronunciaverit: « ancorchè il catarro di vescica sotto la influenza di un saggio metodo di vivere diminuisca d'intensità, pure i vecchj, che ne sono affetti, lo conservano fino al termine dei loro giorni. »

THESES DEFENDENDAE.

I.

Amor, non impetus venereus, mentis corporisque vitam ad altiorem extollit potentiam.

II.

Saburram gastricam saepius effectum, quem causam morborum gastricorum.

III.

Digestionis languorem ex lenta gastro-enteritide frequenter oriundum.

IV.

Therapiam revellentem in acutis phlogosibus incertam et periculosam.

V.

Omne vitae vegetativae magisterium in efformando et consumendo sanguine versatur.

VI.

Ob inductionem physiologicam, verae arteriarum cum venis anastomoses, minus ac esse putant frequentes.

VII.

Neurilema trium encaephali et medullae spinalis membranarum continuationem sistit.

VIII.

Decipiuntur, qui oculi conjunctivae serosam pro parte tribuunt naturam.

IX.

Ischuriam a completae vesicae paralysi derivare, damnabilis error.

X.

Tabes dorsalis, a spermatis dispendio non repetenda.